

repræsentationem speciei, sed coaptat, et accommodat objectum ut ejus repræsentationi, seu modo repræsentandi, qui inferior est, proportionetur; sed per internam ejus speciei immutationem in sua repræsentatione, poterit quidem id facere Deus, sed talis immutatio cum intrinsece vertat, et mutet repræsentationem ipsam, quæ essentialis est speciei, mutat sine dubio essentiam ejus, et dissolvit, aliamque infundit, quæ de novo repræsentat id quod ante non repræsentabatur. Et sic incidimus in aliud inconueniens præcedenti disputatione exclusum, quod Angelus non habet omnes suas species ab initio infusas: et sic non nascitur plenus sapientia, et perfectus decore intelligibili. Et iterum species illa de novo repræsentans, debet esse repræsentativa solum illius singularis quod de novo producit, non aliorum quæ nondum producta sunt, quia illa sunt futura, non aliorum quæ jam producta sunt, quia jam sunt cognita, nec naturæ illius in communi, quia jam de ea habebatur notitia. Ergo inciditur in illud inconueniens, quod quilibet Angelus intelligit singularia per species adæquate talium singularium repræsentativas, quæ sunt species nimis particulares, et propriæ sensuum, non universalitati intellectus angelici correspondentes. Quod autem aliqui dicunt immutari speciem a Deo ipso concursu, quo influit cum ipsa, et cum intellectu ad repræsentationem hujus determinati objecti, hoc nihil est, quia ille concursus solum est applicativus causæ ad actum secundum, et influxivus in illum juxta modum, et potestatem ipsius causæ secundæ; et sic supponit ipsam constitutam, et perfectam in actu primo, et consequenter repræsentationem ejus non immutat, quia hæc pertinet ad actum primum: concursus autem

Dei ad operandum non, immutat nec constituit aliquid pertinens ad actum primum, sed tantum applicat, et ordinat id quod est in actu primo ad actum secundum. Quod si iste concursus immutat ipsam repræsentationem, et id quod pertinet ad actum primum speciei, idem est ac si dissolvat illam, et infundat aliam, ac proinde reditur ad id quod jam impugnatum est, quod destruat Deus illam speciem, et producat aliam: perinde enim est quod id faciat concursu quo influit in actum, vel alia antecedenti actione, si inconueniens est idem.

IX. Quare secunda aliorum sententia affirmat speciem intelligibilem Angeli non immutari intrinsece, nec per entitatem, nec per modum superadditum, sed per extrinsecam assimilationem, quatenus objectum non assimilatur speciei repræsentativæ sui antequam in rerum natura tale objectum sit; existente autem objecto, statim assimilatur speciei; et sic manet completa similitudo ipsa speciei, quia similitudo inter duo extrema est; et sic existente utroque extremo completur. Hæc sententia videtur plane affirmari a D. Thoma, hic quæst. LVII, art. III ad III, et quæst. VIII de verit. art. XII ad I. Et communiter hoc sequuntur Thomistæ, Cajetanus in hac quæstione LVII, art. II, §. Quod secundum; Ferrariensis II contra gentil. c. XXXVI, et c. c, quamvis inter Cajetanum, et Ferrariensem sit dissensio, quod Cajetanus putat durationem ipsam, seu existentiam ut in exercitio conjunctam cum re ipsa, non repræsentari ut objectum quod, seu ut rem repræsentatam, sed ut conditionem; Ferrariensis vero dicto capite c, id impugnat, censetque repræsentari durationem ipsam, etiam ut objectum quod, et rem repræsentatam, quia revera duratio ista, et conjunctio ejus cum ipsa re

est unum ex accidentibus ipsius rei; atque adeo repræsentabilis est ut objectum, et res cognita. Putant autem Suarez, lib. II de Angelis, c. XI, n. X, et Arrubal hic disp. CLXVII, c. II, sententiam Cajetani in eo esse, quod species Angeli repræsentant futura in potentia, quando vero existunt, repræsentant ea in actu sine ulla mutatione ex parte speciei. Cæterum sententia Thomistarum in hoc convenit, quod similitudo speciei, quæ est in Angelo, non est completa, et terminata antequam objectum existat; et ideo non potest illud repræsentare, quamdiu est futurum. Complementum autem similitudinis terminatur; licet varietas magna sit in explicando quomodo ista repræsentatio speciei terminetur ad istam existentiam rei futuræ, et respiciat illam, an sicut conditionem, an sicut rem repræsentatam, et utrum repræsentatio ipsa speciei mutetur, saltem quoad aliquem modum, seu relationem de novo acquisitam erga objectum, seu penes aliquid explicitum, quod ante solum erat implicitum respectu rei futuræ, quod Suarez et Arrubal vocant repræsentare in potentia, et in actu. Et hoc totum quomodo intrinsece fiat in specie ex sola positione extrinseca objecti; de quo etiam videri potest Navarrete contr. LVIII.

X. Hæc sententia non minores parit difficultates quam præcedens, et possunt reduci ad duo præcipua capita.

Primum est, quia responsio D. Thomæ in hac quæstione LVII, art. III ad III et q. VIII de verit. art. XII ad I, quod species Angeli licet æqualiter se habeat in repræsentando respectu rei præteritæ, præsentis, et futuræ, tamen res ipsæ non æqualiter se habent ad ipsas species, quia quando non existunt, non habent naturam per quam assimilentur

speciebus; et sic per eas cognosci non possunt: hæc, inquam, responsio procedit in æquivoco de similitudine relativa fundata in convenientia extremorum, et de similitudine repræsentativa fundata in intelligibilitate rei quam participant species intentionales. Nam similitudo relativa exigit quidem naturam utriusque extremi, eorumque præsentiam, ut completa sit, similitudo autem intentionalis, et repræsentativa hoc non exigit, quia non fundatur in convenientia naturæ, et existentia extremorum, imo species in entitate sua longe dissimilis est ab objecto, ut patet cum per speciem spiritualem repræsentatur res corporea. Similiter constat, quod per speciem intentionalem potest repræsentari res absens, et non existens, sicut patet quod recordamur rei præteritæ, et tamen similitudo speciei, loquendo de similitudine relativa, tunc non est completa, quia sicut res futura non habet naturam per quam assimiletur speciei, ita nec res præterita habet naturam nec existentiam per quam assimiletur illi: ergo etiam non poterit cognosci; quod tamen ista sententia non concedit. Nec refert dicere quod non cognoscitur res futura in seipsa, et intuitive, sed prout continetur in causis, et similiter res præterita, ut relinquitur in effectu. Contra enim est, quia sufficit nobis quod futura abstractivè cognoscantur, dummodo cognoscantur certo, sicut præterita: non enim est difficultas an cognoscantur futura intuitive ab Angelo, sed an cognoscantur certo, licet abstractivè, sicut præterita intuitive cognosci non possunt, et tamen certo cognoscuntur. Adde quod si ex eo non cognoscuntur futura, quia similitudo speciei repræsentantis illa non completur quousque ipsa futura habeant naturam per quam assimilentur tali speciei,

sequitur quod nec etiam supernaturaliter possint cognosci ab Angelo, quia quamdiu non producuntur non habent naturam per quam assimilantur ipsis speciebus, etiam supernaturaliter: ergo non poterunt per tales species cognosci, nec per alias supernaturaliter infusas, quia quantumcumque supernaturalia sint, non poterunt illis assimilari res ipsæ quamdiu non sunt productæ.

XI. Secundo, est difficile in hac sententia explicare, quomodo species ipsa repræsentet res istas futuras, quando præsentis redduntur sine ulla sui mutatione, et ante non repræsentabat illas. Nam rem istam, quæ antea non erat præsens, sed futura, et modo redditur existens, et præsens repræsentari actu per speciem, aliquid intrinsecum est in ipsa specie, si quidem repræsentat aliquid, quod antea non repræsentabat; ergo in ipsa specie aliquid de novo fit ut repræsentet talia objecta, nunc de novo existentia, quæ antea non repræsentabat, et quidquid illud sit, aliquam intrinsecam mutationem petit in specie. Sive enim dicatur quod illa duratio, et existentia est solum conditio, sive quod est res de novo repræsentata, sive dicatur quod ante solum repræsentabat illam in potentia, et implicite, et modo est in actu explicita, totum hoc pertinet ad aliquid proprium, et intrinsecum talis speciei, quia pertinet ad diversum modum repræsentationis ejus, et totum quod repræsentationis est, intrinsecum est in specie: ergo aliquam variationem intrinsecam petit in ipsa specie hæc repræsentatio explicita, et actualis, quando res de novo producitur, quæ antea solum erat implicite, et in potentia quando res erat futura. Unde currunt ibi difficultates supra allatæ contra primam sententiam, scilicet quod si repræsentatio intrinsece mutatur, species ipsa corrumpitur:

et quod non potest ab ipso objecto extrinseco hæc variatio fieri in specie, cum non habeat efficientiam aliquam, et influxum in ipsam speciem: nulla autem mutatio intrinseca fit in specie nisi mediante aliqua efficientia, et influxu physico.

XII. Tertia ergo sententia est quam docet p. Suarez et alii, qui absolute docent nullam dari mutationem intrinsecum in ipsa specie Angeli, ex eo quod res futura reddatur præsens, sed totam mutationem tenere se ex parte rei repræsentatæ, non quia compleatur similitudo speciei per ipsam existentiam objecti, sed quia quando est præsens, terminat repræsentationem, et cognitionem intuitivam: quando autem est futurum, non terminat repræsentationem speciei, sed solum res ipsa repræsentatur in abstracto, et quantum ad quidditatem, eo quod species intelligibilis non repræsentat Angelo complexe rem esse vel futuram esse, sed simpliciter, et secundum se repræsentat illam, et sic si res non existit, nihil de existentia aut futuritione ejus repræsentat, sed tantum quidditatem cum indifferentia ad esse, vel non esse: cum vero de facto res existit, de facto terminatur ad illam repræsentatio, ut ad existentem, antea vero terminabatur ad ipsam ut possibilem, et ad omnia ejus accidentia, et circumstantias, etiam ut possibilem: et sic tota hæc variatio reducitur ad diversam terminationem ex parte objecti repræsentati, non ad aliquam mutationem intrinsecam in specie, sive formalem, sive effectivam, neque ad aliquod complementum similitudinis ejus.

XIII. Addit p. Vasquez hic disp. ccviii, c. iv in specie Angeli nullam fieri variationem intrinsecam per hoc quod antea non repræsentet futurum, et modo repræsentet, quan-

do est præsens, sed solum ex parte objecti quia quamdiu est futurum, non est objectum naturale istius speciei, sed solum quando est præsens, vel præteritum. Eadem autem species, et potentia in se invariata respiciunt, et attingunt objectum quando redditur connaturale objectum speciei, vel potentia, non autem attingunt quamdiu connaturale objectum earum non est. Quam doctrinam dicit tradi a Capreolo in ii, dist. iii, q. ii, art. iii ad i. Gregorius contra tertiam conclusionem, ubi inquit, ideo futura non cognosci ab Angelis, quia capacia non sunt cognitionis, nec ei subjiuntur, et ad eundem sensum conatur adducere D. Thomam hic q. lvii, art. iii ad iii; Hervæum, et alios. Et addit p. Arrubal hic disp. clxvii, c. i, et p. Alarcon tract. vi de Angelis, disp. iii, c. vii, existentiam actualem objecti bene posse facere ut aliquid sit intra virtutem naturalem alicujus potentia vel habitus, intra quam ante non erat, ut patet exemplo habitus fidei divinæ, ad quam incipit pertinere aliquid objectum, et intra latitudinem ejus contineri, si modo reveletur a Deo, et declaretur ab Ecclesia, quod ante non continebatur ex solo defectu revelationis, per quam tamen nihil intrinsecum in habitu fidei ponitur, sed omnino invariatus manet in se. Sic etiam per hoc quod res aliqua reddatur existens pertinensque ad hoc universum, ponitur infra latitudinem objecti proportionati alicujus speciei, cum antea ad talem speciem non pertinet, quia non erat illi connaturale, nec intra latitudinem ejus continebatur; et sic non repræsentabatur, modo vero repræsentatur nulla facta variatione in ipsa specie.

XIV. Cæterum tota hæc sententia, et omnes ejus explicationes non minorem difficultatem patiuntur, quam non exacte explicat. Nam pri-

ma explicatio divertit a principali puncto difficultatis, explicans quomodo species non varietur variata solum terminatione objecti quoad intuitivum, vel abstractivum. Dato enim quod eadem species, vel notitia varietur de abstractiva in intuitivam solum per extrinsecam terminationem objecti, nulla facta variatione in ipsa specie, saltem quantum ad substantialem repræsentationem: tamen in præsentia, ut jam movimus, non est difficultas solum in hoc, quod Angelus non possit cognoscere futura intuitive: sic enim neque futura necessaria, v. g. eclipsim futuram intueri potest, quia nondum est præsens, neque in seip-sa, et extra causas cognoscibilis, sed etiam debet supponi quod futura contingentia non sunt certo cognoscibilia ab Angelo, etiam certitudine abstractiva, et eo modo quo futura necessaria cognoscuntur. Et de hac cognitione abstractiva assignanda est ratio, quare non potest attingi futurum quando est in statu futuritionis abstractivæ, supposito quod eadem species invariata in sua repræsentatione potest illud attingere intuitive quando fit præsens. Et hæc sententia seu explicatio Suarez totam variationem reducitur ad terminationem objecti, prout servit cognitioni intuitivæ, quando res fit præsens: quomodo autem non terminet cognitionem sui abstractivam ante quam sit præsens, supposito quod repræsentatio speciei est eadem, non explicat. Nisi forte dicatur quod antequam res sit præsens, solum repræsentatur quidditas rei in abstracto, seu in communi, aut etiam in quantum hæc in singulari, sed non repræsentatur ejus productio, seu duratio, et existentia ut conjuncta ipsi rei, eo quod species Angeli non repræsentat complexe affirmando, aliquid esse vel non esse. Sed tunc restat difficultas insoluta,

videlicet quomodo quando res fit præsens incipit illa species per suam simplicem repræsentationem repræsentare rem non solum in sua quidditate, sed etiam cum conjunctione ad existentiam, et durationem sine aliqua variatione intrinseca, et per nudam terminationem extrinsecam: hoc enim quod est rem existere in exercitio sicut est aliqua veritas terminativa cognitionis ex parte sui, ita repræsentabilis est in aliqua specie ex parte intellectus: et Angelus non format novam repræsentationem ex speciebus præconceptis ad repræsentandum illam conjunctionem rei cum sua existentia per compositionem aut divisionem, sed per ipsam simplicem speciem viso objecto, videt quidquid illi convenit, inter quæ unum est existentia seu duratio: ergo si illa species antequam res produceretur non repræsentabat durationem ut convenientem ipsi rei, quomodo ex sola extrinseca positione rei incipit illam per intrinsecam similitudinem, seu repræsentationem repræsentare sine aliqua variatione sui? Et dato quod posset Angelus formare novam speciem repræsentantem conjunctionem durationis cum re, quod antea non repræsentabatur, quomodo ex sola extrinseca productione rei movetur ad formandum illam speciem, cum nihil illi de novo repræsentetur, aut mutetur in speciebus, quas habebat ante productionem talis rei, et ante illam non poterat formare speciem repræsentantem illammet conjunctionem, etiam pro tempore quo facienda est? Et sic poterit intelligere futurum, saltem abstractivè antequam sit per compositionem, seu formationem illius speciei. Quare sola extrinseca terminatio non apparet quomodo sit sufficiens ad repræsentandam conjunctionem durationis cum ipsa re, si species ex sua intrinseca ra-

tionem id antea non repræsentabat.

XV. Similiter explicatio Vasquez et Arrubalis nullo modo subsistit, sed manifeste petit principium, et non explicat difficultatem. Dicit enim, ideo speciem Angeli non repræsentare futurum, quia sub statu futuritionis non est connaturale ejus objectum. De hoc est difficultas, quare non sit connaturale ejus objectum antequam existat: cum autem existit, incipit esse connaturale objectum, et species incipit ipsum repræsentare. Et non explicat difficultatem: si enim incipit esse connaturale objectum, etiam incipit ejus repræsentatio esse in mente Angeli quæ antea non dabatur, quia connaturale objectum non erat: ergo non stat objectum ipsum variari, ita quod sit connaturale objectum speciei, et ipsam repræsentationem speciei non variari. Vel si antea dabatur repræsentatio sufficiens istius objecti, licet non exercebatur quomodo connaturale objectum non erat si jam in mente Angeli species repræsentativa illius erat? Si dicatur ideo non esse proportionatum objectum, et connaturale, quia quamdiu est futurum, non pertinet ad ordinem hujus universi, nisi in potentia. Non per hoc evacuatur difficultas, quia dato hoc quod non pertineat ad ordinem universi illud futurum actu, sed solum pertineat ut futurum (de quo tamen inquiri posset, quare hoc non sufficiat ut sit objectum connaturale) tamen restat explicandum, quomodo quando illud objectum producit, et incipit pertinere ad ordinem universi repræsentetur ab illa specie sine aliqua variatione speciei de potentia ad actum, quia antea repræsentabat objectum solum in potentia, modo in actu, vel si antea repræsentabatur in actu, quare non poterat ab Angelo cognosci? Variatio autem in ipsa repræsentatione intrinseca de

potentia ad actum, magna et realis variatio est, cum ipsa repræsentatio in se realis sit, nec potest intelligi quod fiat per solam denominationem extrinsecam objecti. Si vero nec in potentia, nec in actu repræsentabatur ante, et modo repræsentatur, aliqua intrinseca mutatio speciei est.

XVI. Instantia autem et exemplum Arrubalis de objecto incipiente pertinere de novo ad habitum fidei, cum ante non pertineret sine ulla variatione habitus in se, non conducit; quia habitus, et potentia cognoscitiva non respiciunt objectum repræsentando illud, sed supponendo repræsentationem factam in specie, vel propriam, vel connotativam prout objectum repræsentari potuerit, et scientia postulaverit, qua repræsentatione supposita, habitus et potentia tendunt sub ratione sua formali ad quodlibet objectum quod sub illa ratione formali contineri potest; et sic contentum in specie repræsentari, et proponi sicut etiam visus ipse non variatur ex eo quod producat de novo aliquod objectum colore affectum, quod hoc ipso sub latitudine suæ formalis rationis continetur, pertinetque ad talem potentiam. Cæterum species ipsa per se immediate repræsentativa est objecti, illudque conjungit potentia in esse intentionali, non in objectum repræsentatum per modum virtutis elicitive actus fertur, sicut habitus, vel potentia. Non potest autem species repræsentare id quod antea non repræsentabat per solam extrinsecam coexistentiam objecti, si in se intentionaliter non mutetur, quia repræsentatio ipsa intrinseca perfectio est in specie, et realitas ejus, et immediatum respectum habet ad objectum cujus vices gerit species. Habitus autem ut fides, vel potentia fertur ad objectum, supponendo quod sit repræsentatum in specie;

unde perinde est ipsi quod res aliqua de novo producat, vel non, sed hoc ipso quod induit suam rationem formalem; et sic repræsentatur in specie, in illam potest tendere, id est, actum elicere circa illud; species vero ipsa non sic tendit, sed repræsentat rem immediate, nec potest repræsentare quod non repræsentabat ante, nisi per intrinsecam aliquam rationem, quia repræsentatio, intrinseca ejus perfectio est. In habitu autem etiam intrinseca perfectio est dicere actum, et ferri in objectum, sed prout repræsentatum, et per speciem conjunctum intellectui. Unde tota mutatio non est in ipso habitu, qui supponitur potens in illud objectum, si sic proponatur, sed in objecto ejusque repræsentatione, et propositione.

XVII. Quapropter redeundo ad sententiam D. Thomæ eamque explicando, dicimus quod intellectus Angeli in sententia D. Thomæ non cognoscit singularia, quæ de novo fiunt per species de novo acquisitas, sed per species quas prius habebant, per quas tamen non cognoscebant ea prout erant futura: hæc enim sunt expressa verba ipsius quæstionis xvi de malo, art. vii ad vi.

Ratio autem quare species illæ non repræsentant futura seu singularia nondum existentia, perpetuo assignatur a D. Thoma per hoc, quod talia singularia nondum participant naturam per quam assimilantur illis speciebus, ut patet citato loco quæst. xvi de malo, et in hac quæstione lvii, art. iii, ad iii, et in ii ad Annibaldum, dist. vii, quæstione unica, art. iii ad iv, et quæst. viii de verit. art. xii ad i. Et ut dicit citata quæstione de malo: «Species intelligibiles, quæ sunt in intellectu angelico sunt directæ similitudines respicientes naturas specierum, per quas tamen singularia cognoscere possunt, non tamen nisi in quantum